



CAROLI A MANSFELDT  
MAGISTERIUM  
MILITARE  
SIVE  
DE IURISDICTIONE  
ET  
IURE MILITIAE  
BELGICAE

A NTVERPIÆ

APUD IACOBUM MESIUM SUB AUREIS BIBLIIS Anno 1649.

*J. Meyffens delin.*

*Aut. vander Duer. sculp. fr.*



SERENISSIMO  
PRINCIPI  
LEOPOLDO  
GVILELMO  
ARCHIDVCI AVSTRIÆ.  
DVCI BVRGVNDIÆ, &c.  
EPISCOPO ARGENTINENSI,  
PASSAVIENSI, OLMVSENSI,  
S. MARIÆ  
TEVTONICORVM  
MAGNO MAGISTRO, &c.  
REGIS CATHOLICI  
PRO BELGIO ET BVRGVNDIA  
VICARIO  
CAROLVS A MANSFELT,  
F. P.



# SERENISSIME PRINCEPS,



Vm est hominis vita super terram militia, Christiani est militia ipsa professio, ad quam pro Christo specialiter signati sumus: etiam ab hac habet terrena felicitatem, si quam securam habet. Militat vbiq̄ue spiritus aduersus carnem, caro aduersus spiritum; vae autem si vincit & dominatur seruituti destinata! Nihil dominante seruo impudentius, cui malo Potestatem opposuit Diuina Bonitas, illam quâ regitur homo, gubernatur Christianus, à qua etiam habet nostra Belgij militia Magisterium in duplici Magistratu, vno Ecclesiastico, Laico altero, pro disciplina christianæ Communitatis ad rationes seu æternas, seu temporales magistrante. Pro horum magistratione pauca quædam notauit, quæ Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, Ecclesiæ Principi, Principi Sacræ Militiæ, Principi Iustitiæ, offero. Si dignaris vultui Tuo obijcere, possunt agere speculi vices, & valebunt & erunt Tui repræsentatione ad feruorẽ Superioribus, Inferioribus ad ardorem, efficacia in omne opus bonum, quod hactenus leges præscripserunt, & de quo laus omnis est boni Ducis, quem

# PARS PRIMA. IVDEX APOSTOLICVS.

## CAPVT PRIMVM.

### Delegatus.



ANCTISSIMVS Dominus noster Archi-Episcopum Mechliniensem sub proprio dignitatis nomine delegavit exercitui Catholico, pro salutis animarum directione; vt scilicet præsidendo præscriberet recta, vtilia, & coniuncta cum legibus, omnino omnibus qui pro Sacramentorum ministratiõne in Castris sunt, & exercitum aliàs constituant, Sacramentorum gratiã indigentes, seu militares sint, seu militarium auxilia,

*Delegatus  
Apostolicus  
ad Exercitus  
Regios*

etiam impedimenta: recursus enim seu ad Apostolicam Sedem, seu ad locorum Ordinarios, quàm sæpè impossibilis est! Omnis certè plerumque moram requirit, quæ militi, non planè salutis curioso, scandalum est. Quod & si non probemus, vbi tamen Ecclesiæ bono caueri potest, ei cauere voluisse omnium Christianorum Patrem, præsumptio est: ita non hic militum extremæ solùm necessitati, sed euidenti difficultati succursum fuit.

Hinc omnem & quancumque Iurisdictionem Ecclesiasticam dedit, cui Delegatus præesset potestate, non qua esset Pontificis vice, sed qua sollicitudinis eius partem, dicendo ius, susciperet, imperando, præmiando, puniendo. *Cap. 2. de Offic. in 6. Magistratus igitur. Petauus l. 3. Hierarch. cap. 1. n. 61. Donel. l. 17. Juris. c. 7. Magistratus, inquam, non à lege delatus, sed à Principe datus: quod probat ipsa Delegationis forma, qua non ad vnius causæ cognitionem, sed quomodo, regendo populo Magistratus proprius constituitur, propriã etiam datã potestate, d. c. 2. Innoc. ad c. 3. x. de Offi. Ord. n. 3. regimen ei exercitus committitur, perinde ac si Ordinarius esset: vt quo modo hic terri-*

*Est Magi-  
stratus ex-  
tra ordinem  
datus.*